



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 8. Joannis Livinei obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul XVI.
A.C 1599.

§. VIII.

Joannis Livinei obitus.

*Thus. Mench.
& Iselin. l.c.*

Postremus inter Scriptores ecclesiasticos, qui hoc anno mortalitatem euerunt, recensetur Joannes Livineus, qui ex Clara Livinei Torrentii celeberrimi Antverpiæ Episcopi Sorore natus primam lucem Teneramundæ aspexit, vulgo tamen *Gandavensis* dictus, eo quod a teneris Gandavi educatus fuisset. Hic humanioribus literis Coloniz, Lovanii vero Theologiæ operam navavit, ac Græcæ linguæ scientiam probe assecutus sanctorum Patrum studio totum sese sacra- vit, ac demum Antverpiensis Ecclesiæ Canonicus Agnati sui eruditissimi Præfulis vestigia premere intentus, & Rempublicam literariam illustrare sollicitus Romam profectus est, ubi assiduo Bibliothecæ Vaticanæ usu, & ope adjutus tantopere profecit, ut unacum Guiljelmo Cantero Plautinianam Bibliorum editionem adornaret, ac postea Guiljelmo Sirleto, & Antonio Caraffæ Cardinalibus, quorum benevolentiam sibi conciliaverat, in eodem opere suam industriam comprobata redderet: præterea duodecim *Panegyricos veteres* notis illustratos edidit, pluraque Græcorum Patrum opera latinitate donavit, cumque Antverpiam reversus sanctum Gre-

Gregorium Nyssenum Græce publi- Sæcul. XVI.
 ci juris facere meditaretur, morte A.C.1600.
 calamum excutiente ibidem anno æta-
 tis suæ quinquagesimo secundo decima
 tertia Januarii obiit, prope Torrentii
 Avunculi sui corpus in Majori Urbis
 Basilica ad Beatam Virginem sepultus.

§. IX.

*Anni sacri solemnitas Romæ
 celebrata.*

Annus Christi millesimus sexcentesi- Thuan. Hist.
 mus indictionis decimæ tertiæ uni- lib. 124.
 verso Orbi Christiano faustissimus acci- Spond. hoc
 dit ob Jubilæi solemnitatem, quæ die anno n. 1.
 prima Januarii a Clemente VIII. sum- tom. 4. vit.
 mo Pontifice Romæ inchoata per inte- Clem. VIII.
 gram annum maxima omnium natio-
 num exspectatione, ac frequentia fuit
 celebrata, nam vix unquam major erat
 populorum undique confluentium nu-
 merus, adeo, ut in solo sanctæ Trinita-
 tis Xenodochio ad suscipiendos peregrin-
 os exteros destinato quingenta utrius-
 que sexus millia in ejusdem Hospitalis
 tabulis recensita reperiantur, præter in-
 gentem multitudinem illorum, qui in
 variis diversarum Nationum Xenodo-
 chiis, Monasteriis, privatisque domibus
 excepti fuere: ex his tamen nationibus
 Gallica hoc anno concursus frequentia,
 ac pietatis fervore celebrior erat; jam